

V. 9  
5570





Q. 195. (10)

Vg  
5570

DISPUTATIO

*Contra*

BONIFACIUM

GOTTFRID ALT-  
KIRCHENSEM

SCURRAM,

*Manes D. LUTHERI unà cum lim-  
pidissima ejusdem*

DE CONJUGIO

*Doctrina impiè ac nefariò tractantem,*

*Proposita in Academia LIPSENSI  
publicè,*

*à*

M. CHRISTIerno KEIL PASTORE  
TRIPTISENSE, S. S. Theol. Baccal.

*XXII. Januarii, Anni  $\delta\pi\acute{o}$   $\tau\eta\varsigma$   $\epsilon\upsilon$   $\sigma\alpha\rho\kappa\iota$   
 $\omicron\iota\kappa\omicron\nu\omicron\mu\iota\alpha\varsigma$  M. DC. IIX.*



Cum Gratia & Privilegio Elect. Saxoniae.

LIPSIÆ

*Literis exscribebat Abraham Lamberg.*



ILLUSTRISSIMI ET POTENTISSIMI  
PRINCIPIS AC DOMINI, DN. CHRISTIA-  
NI II. ELECTORIS SAXONIÆ, &c.

CANCELLARIO DIGNISSIMO,  
*Generis ac virtutis laude No-  
bilissimo Viro,*

BERNHARD à PÖLNITZ,  
in Oberpölnitz, Schwvartzbach, Lin-  
dencreutz ac Rentendorff, &c.

Mecoenati ac fautori suo,  
*banc diatriben Theologicam submisso  
ac studiosissimo animo,*

D. D. D.

M. CHRISTIERNUS KEIL PASTOR  
Triptisensis, S. S. Theol. Baccal.



ΣΥΝΘΕΣΙΣ

DISPUTATIO CONTRA LIBELLUM FAMOSUM,  
sub titulo, Lutherana consolatio  
pro mulieribus eiusdem sectæ.

I.



*A* B initio semper eadem fabula à Sathana cum sua cohorte lusa fuit adversus Christum & Ecclesiam ejus, jamq; est in summa epitasi, ubi inimicus ille totam armaturam suam expedit descendens cum ira magna, ut qui sciat se paululum tempus habere, Apoc. 12.

II.

Arma & globi præcipui sunt mendacium & calumnia, quibus hucusq; regnum suum tenebrarum omni conatu tutatus est, in quorum usu cohors una expeditior est altera. Palmam tamen referunt Jesuita, extrema à diavolo homines, qui per fas ac nefas, scripto & non scripto, astutia ac scelere aggrediuntur reformatam Christi Ecclesiam.

III.

Cujus facinoris exemplar ad nos nuper pervenit, publicatione scripti cujusdam famosi, in quo rectè, fraudulentè ac sceleratè perstringitur ac traducitur D. Lutherus p. m. quasi omnis pacis, Ecclesie, politie ac œconomie perturbator ac everfor: omnium tamen innocentissimus.

IIII.

Assumit autem scurra ille Jesuiticus Altkirchensis à Populo ad singularem malitiam declarandam, pronunciatum Lutheri pessimè & procacissime detortum: Si nolit uxor, veniat ancilla. Ex quo malitiosè concludit,

A 2

Luthe-

Lutherum ut libidinosum hominem esse extirpandum, damnandum, ipsiusque memoriam omni internectione delendam, & e contra omnibus ac singulis ad gremium Catholica Ecclesia, quam Romanam intelligit, revertendum. Cui spongia hac abstersoria occurrimus, qua maculas hac famosa sua charta aspersas, pro virili abluemus.

V.

Postulat hoc gratitudo, quam aeternum Luthero debemus, pro navata immensa opera Christi Ecclesiae, & restitutione publica lucis veri Euangelii in his terris.

VI.

Sup. 6. cap.  
ad Ephes.

2. Cor. 13.

Quanquam autem fieri non potest, ut Sathana ac ipsius angelis os ita obturetur, ut capiant silentium: sufficit tamen illum ita convinci & confutari, ut nullo pretextu quicquam justè obtineat, teste Luthero Tom. 1. VV it. f. 416. Proinde liberè aggrediemur authorem, qui se Bonifacium profitetur, vindicaturi Lutheri vitam ac doctrinam, ac ὑπερ τῆ ἀληθείας pro qua possumus, pugnaturi.

VII.

Et ut ordine quodam progrediamur, dividemus diatriben hanc nostram, contra authoris maledicum libellum directam, in 7. capita, adhuri 1. de titulo libri. 2. de differentia Pontificia & Lutherana religionis mox in altera prima pagella facie ab authore per ludibrium proposita. 3. de prooemio. 4. de autoritate Lutheri. 5. de themate ipso. 6. de votis monasticis & conjugio Sacerdotum. 7. de calumniis ac depravationibus quibus author dicta Lutheri corrumpit ac falsè exponit.

CAPUT I.

## De titulo Libri.

Titulus

## VIII.

**T**itulus mentitur consolationem mulieribus Lutheranis, non aliter atq; si impostor pauxillum antidoti monstret in vasis orificio, plenitamen intus veneni, aut si Scortum impudicus honesta matrona utatur vestibus, aut si serpens antiquus humana voce miseram seducat Evam.

## IX.

Quid enim est consolari, quàm ex misericordia affectu seu officio, seu amore, seu animi bonitate proximum in perturbationibus & arumnis spe futuri boni, & agnitione presentis, verbo divino juvare & erigere? Est enim pars Prophetia, 1. Corinth. 14. in Ecclesiâ querenda, Esa. 66. ex solo Dei verbo petenda, Esa. 50. Rom. 15. necessaria piis, 1. Corinth. 14. vera per Christum, 2. Corinth. 1. Sic enim scriptura sexum muliebrem consolatur: Evam Deus, Gen. 3. Bethsaben David, 2. Sam. 12. angeli mulieres, Matth. 28. Christus viduam, Luc. 7. Ac toti ferè mundo innotuit, quàm efficacissimè solatus sit D. Lutherus pias matronas ac totum sexum fœmineum, solo verbo Dei, ut per consolationem scripturarum spem haberent, Rom. 15.

## X.

Scurra autem Alikirchensis, quem hic tractamus, ne syllabam quidem solatii muliebris tractat, sed empaeta Diabolici more, tam misero sexui, quàm conjugio illudit, & verè colligit dialogum, sicut ipse profitetur, hoc est, fingit quicquid vult in Lutherum, ut ferè διαλογίζονται ἕθενος ἀνυλέγοντες & facere solent.

## XI.

Nulla igitur causa subest titulo effictio, quàm teterrimas & obscœnissimas suas cogitationes, quibus Jesuitarum corda scatent, mulierculis instillare piis, manibus & oculis earundem obtrudere, mentesq; fragiles perturbare. Scandali igitur dati pœnam portabit gravissimam author, & quoniam

DISPUTATIO.

Tom. 7. Ie.  
f. 356.

sexui scemineo protervè insultat, nullo honore dignus, censendus est, secundum Lutherum.

X I I.

Psal. 115.  
Esa. 65.

Præterea Lutherum, per sarcasum, virum vocat preciosum. At nos verissimo ore & debita cū veneratione ita eum nuncupamus, ut cuius mors verè preciosa fuit in conspectu Dei, ac in pace quiescit memoria. Nec dignum auctorem Altkirchensem judicamus, qui corrigiam calceamentorum Luthero dissolvat.

X I I I.

Faciat etiam putidè in fronte sui scetus, se thematis sui intellecta verum, in gratiam eorum, qui ex animo Luthero favent, ex ipsius Lutheri etiam libris & scriptis collegisse & clarissimè exposuisse. Ubi tamen quiddam Jesuita dignum, felicitis impudentia ope, prestitit. Cui enim ignota sunt fraudes, quib. etiam Spiritus Sancti oracula ipsa commaculat istud hominum genus? Attamen (μυνηλυνω̄ς) contumeliosi in Spiritum S. sicut & in Lutherum, haberi minime volunt. Sed, juxta proverbium, mel ipsis sedet in ore, fel in corde, fraus demum in factis, sicut postea ex sequentibus patebit.

X I I I I.

Nomen verd præ se fert auctor satis speciosum, sed ex parte ominosum: Bonifacius Gottfrid ab Altkirchen. Hic Oedipi erimus consideraturi quid nominis?

X V.

In toto scripto agit maledicè, mentitur, crimen falsè sapissimè admittit, pervertit Lutheri mentem ac phrasas, venatur imponere miseris sceminis, abutitur ingenii donis. Ergo non est Bonifacius: Ordinationem conjugii divinam scædis conspurcat maculis, atq. in pace Dei quiescentes vult effodi,



effodi, comburi, eorum scripta utilissima aboleri, omnesq; a  
 veritate DEI agnita, ad barathrum Pontificium diu ex in-  
 credulitate damnatum reverti, &c. Ergo non est Gottfrid  
 seu pax DEI: Tandem, quoniam Apostolorum Ecclesia  
 verè est antiqua, de qua etiam verum est: Quò quid anti-  
 quius, ed verius: eam autem scurrilis auctor non agnoscit.  
 non oriundus est ex vera antiqua Ecclesia, sed ex subintelle-  
 eta alia quadam, videlicet Romano-Catholica. Nam qui  
 per fraudem aliquid moliuntur, procùl vocabula accersere  
 solent, ne agnosci facile queant.

Tertull:

## XVI.

Persuademus igitur nobis tacitè, Empactam sequi mo-  
 rem quorundam Romanorum Pontificum. Anno enim  
 844. electus fuit Pontifex quidam proprio nomine OS porci.  
 Hunc in tanta sede constitutum cum sui nominis puderet,  
 Sergium se appellavit. Quem alii insequentes sua itidem  
 nomina propria mutarunt, ita tamen (interpretantibus hoc  
 ita scriptoribus Pontificiis ipsis) ut facta pugnent cum nomi-  
 nibus. Nequissimus, sanctissimum pra se tulit nomen.  
 Qui enim per totum vita tempus nihil boni egit, didus est  
 Bonifacius: qui Tyrannicè administravit omnia, Clemens:  
 & qui omnibus criminibus deditissimus fuit, Innocentius. Ho-  
 rum sanctissimorum Patrum placitum & auctoritatem secu-  
 tus auctor, absq; dubio, tam speciosum sibi ipsi sumsit nomen.  
 Acta autem ipsius, in hoc fœtu suo Consolatorio, ad lucem de-  
 monstrant & evincunt, quod è contrario rectissimè appelle-  
 tur: Maleficus, Gottfridus, Romano-Catholicus. Sic enim  
 scripto respondebit nomen.

Nauch. vol.  
 2. Gen. 9.  
 Volat. l. 22.  
 Polydor. de  
 Invent. l. 4.  
 cap. 10.  
 Lud. Viv. in  
 Comar. de  
 Civit. Dei.

CAPUT

# De differentia Pontificiæ ac Lutherani religionis secundum Altkirchensem.

## XVII.

*Sicut adultera moneta signatores, ita vendentes decipiunt, ut appposito are probato, ejurent simul in precio ac pondere nullum esse discrimen, saltem quoddam in forma quadam levicula videantur desiderari: ita novam induit larvam Altkirchensis, extenuans Pontificiæ ac Lutherani religionis discrimen. Quo in hunc errorem inducat lectorem, quasi de lana caprina ab utraq; parte disceptaretur: cum earundem genera doctrinarum in vicem à se ut cælum à terra distent.*

## XVIII.

*O utinam vera diceret! Si enim soli (quos per ludibrium empacta attingit) quatuor articuli in controversia positi essent, non abjicienda spes esset, nos, utrobique, præeunte divino auxilio, lecta probèq; considerata à Pontificiis sacra scriptura, atq; exclusis & male valere iussis somniis atq; commentis humanis, citius ac facilius pacem concordem in una ac verè Catholica Ecclesia habituros. Sed frustranea spes est.*

## XIX.

*Nullus enim articulus Christianæ veritatis in sua integritate consistere potuit sub Papatu, quamvis dissimilibus temporibus. Aut enim mutilarunt, aut de suo addiderunt, aut depravarunt (vel in sensu vel in verbis) aut exterminarunt, contra gravissimam Dei comminationem, Deuter. 4. 12. Esa. 8. Proverb. 30.*

Hic

## XX.

Hic notandum hoc est: Si in quatuor articulis tantum vel precipue contineri arbitratur Scurra discrimen Pontificia ac Lutherana religionis, aut non totus addictus est Pontifici, aut irridet Pontificiam & Lutheranam religionem simul, aut se vera dixisse profitetur.

## XXI.

Si primum verum est, castigandum relinquimus Pontificiis, utpote secta sua mercenarium & levis armatura infidelem militem. Si secundum: a Deo est & simpliciter Diabolo tradendus. Si tertium: remittimus ipsum ad Augustanam Confessionem, ejusdemq; Apologiam, & ad utriusq; partis polemica scripta, de quibus hic agi res non patitur.

## XXII.

Questio hic interserenda est. An hoc discrimen sit in sacra scriptura ipsa, an in explicatione seu sensu? Responsio. In ipsa scriptura nullum potest esse discrimen (excepta litera falsatione) quia utriusq; scripturam accipiunt. In usu igitur & intellectu discrimen ponendum, juxta Hieronymum, qui dixit: *Heresis est in sensu, non in verbis.* Hunc autem Papista ad solam authoritatem & arbitrium Romana Ecclesia rejiciunt, insuperq; addunt traditiones humanas, quas literis sacris equivalere non verentur affirmare. Nos vero Sacra Biblia ipsi etiam accipimus, eo modo, quo in iisdem Spiritus S. se declaravit. Et pronunciamus aperte, nihil posse desiderari in Sacris scripturis ad salutem humani generis pertinens.

## XXIII.

Vt enim quedam in veteri, sicut & in novo testamento, obscuritatem & difficultatem prae se ferant: tamen in aliis locis expresse exposita & tradita sunt. In primis novum testamen-

B

tum

Hic

## DISPUTATIO

tum omnem sensum veteris aperit, ejusq; apparentes obscuritates discutit. Nihil igitur addendum, nihil detrahendum.

XXIII.

Traditiones autem humanae, si scripturae interpretationem sibi vendicant, planè abominanda sunt: sin verò equiparantur fugienda. Rectè enim Lutherus dicere solitus fuit: Ego id observavi, omnes haereses & errores in scripturis non venisse ex simplicitate verborum, ut jaçtatur penè toto orbe, sed ex neglecta simplicitate verborum, & ex affectatis propria cerebro tropis & sequetis. Et secundùm Hilarium, lib. 1. de Trinitate, Optimus scripturae lector est, qui dictorum intellectum non attulerit, sed retulerit ex scriptura. Scriptura enim non est privata seu arbitraria interpretationis, 2. Pet. 1.

CAPUT III.

## De Prooemio.

XXV.

**P**rodit author Altkirchensis seipsum in suo prooemio, dum quanam futilis sui argumenti sit causa, summa & finis, clarè indicat. Continet autem quatuor partes:

I. In prima utitur hac thesi: Quandoquocumq; aliquid novi & inauditi accidit, statim disseminatur & cum admiratione, summa illius fama viget, imprimis apud ociosos ac leves, qui rem sine ponderatione credunt statim, postea tamen sibi turpiter impositum intelligunt. Hinc subsomit: Lutherana doctrina talis est, &c. Ergo.

XXVI.

Thesin in communi hominum vita plerunq; ita se habere haud illibenter fatemur, sicut & de commentitiis Pontificiorum prestigis & fictitiis cultibus, qui antea Apostolica Ecclesia

clesia ignoti & inauditi fuerunt, sed apud petulans & ociosum ac superstitiosum seculum tandem enati, pugnantes cum vero Dei cultu, quibus totus mundus infatuatus est, donec tandem fraus detecta est.

## XXVII.

Sed Lutheri doctrina est nova & inaudita, non sui natura, nec autoritate ac veritate, seu quod excogitata, inventa & obtrusa esset Ecclesia: Sed 1. ea ratione qua Christi & omnium Apostolorum apud Judaeos & Ethnicos inaudita ac nova iudicata fuit: Idem enim, quod publica ac vera de Deo eiusque essentia ac voluntate doctrina prorsus seu abolita, seu obscurata & depravata tunc erat, Christi & Apostolorum doctrina rectè nova appellabatur. 2. Quod nullus unquam, secundum Pontificem ministros, Joh. 7. ita locutus est (sc. in Papatu) sicut hic homo Lutherus. 3. Quod erat talis doctor, qui vetera ac nova ex thesauro suo poterat depromere, Matth. 13. 4. Quod hac doctrina expurgata sunt sordes antiquae Pontificiorum, & renovata Ecclesiae facies. 5. Quod eadem gignit novas creaturas in Christo, Gal. 6. & novos homines Eph. 4. 6. Tandem quod nova lingua, Germanica videlicet, ut plurimum sit divulgata. Et sic nova lingua doctrinam habuit Lutherus, perinde ut Apostoli die Pentecostes.

## XXVIII.

Hanc novitatem tantum rectè sigillare potest Alikirchensis triobuli author, quantum bona conscientia S. Scripturam ipsam veteris ac novi testamenti, novitatis & vanitatis arguere ansit.

## XXIX.

Nec Lutheri doctrina scenico more seu histrionum lusu à nobis obtruditur populo, seu questus turpis gratia circumfertur, sicut Romanensium prestigia, sed mandato divino,

Isa. 66.  
Matth. 11.

eoq̄, quem Christus edixit, modo predicatur: non ociosis & stulta credulitatis hominibus, non porcis prurientibus, sed Spiritu contristatis, timentibus sermones Dei, laborantibus animo ac conscientia, oneratis peccato, & liberationem inde summis votis expetentibus. Unde revera sentiunt ipsis non imponi; sed salvas fieri animas ipsorum.

X X X.

Psal. 2.  
Psal. 116.

Cur verò non apertè falso Catholicam Romanam Ecclesiam averfaremur, & diabolicos Pontificum, Episcoporum & Conciliorum furores bellum apertum Christo indicentes & pedibus verbum ipsius calcantes, damnaremur, cum Christus ipse illos subsannet, & nos credamus, propter quod loquimur.

X X X I.

Quòd si ea assertio, qua mille retrò annis non tam clarè & purè fulsisse totum Evangelium in publicis Ecclesiis, quàm Luthe- ro docente & propugnante pro verbo Dei, profiteamur, adeo perstringit mentes Papistarum: adeant sanè omnes Bibliothecas suas, ac historicos fide dignos, & instituta collatione, rem ita se habere invenient: Quamvis non negamus, semper fuisse pios ac vere Christianos homines non indoctos: Sed loquimur de publica doctrina omni ex parte verbo Dei consona, absq̄ ut- tius humani cerebri corruptelis ac fatuis superstitionibus.

X X X I I.

In secunda parte prefationis jubilat Altkirchensis, multos è seductis Christianis (sc. Lutheranis) subinde illuminari, & universa regna, provincias ac civitates, doctos & indoctos pa- riter in gremium Romanae Ecclesiae rediisse sua sponte. Causas addit sequentes.

X X X I I I.

1. Quia dolum, criminationes, vim, levitatem & mendacia Lutheranorum Doctorum tandem olfecerunt & intellexerunt.  
Unde?

Vnde? ex Catholicis seu Pontificiis libris, inquit, & ex Catholicorum Doctorum (Jesuitarum) vivis institutionibus. Frigidè sat hoc didum (S. Scripturam enim tacet) cum non ex istis lacunis Romanis Lutherani suam doctrinam, sed ex limpidissimis Israël fontibus, hauriant, indeq; Lydium depromant lapidem. Hoc qui nō facit, ex Carybde in Scyllam incidit. Nam regula immota manet: Si manseritis in sermone meo, verè discipuli mei estis, & cognoscetis veritatem, & veritas liberos reddet vos, Iohan. 8.

## XXXIII.

2. Quia Lutheri doctrina est plena errorum, & ex multis haeresibus antiquitus à Romana Ecclesia damnatis confuta. Resp. Sed non à Sacra scriptura damnatur. Sat est, si Lutherus loquatur eloquia Dei, 1. Pet. 4.

## XXXV.

3. Quia Lutherus fuit inconstans, & saepe mutavit sectam suam, multosq; genuit Absolones, ut Calvinistas & Anabaptistas, &c. qui se invicem mutuò mendacii ac haereseos arguunt, sedibus ejiciunt, calumniantur & condemnant. Resp. Lutherus ab initio non totum aggressus est Papatum, sed de capite religionis Christiana primario, nempe de causa remissionis peccatorum & justificationis coram Deo, decertavit, ideoq; incongrua multa, de quibus nondum satis certus erat ex scriptura, habuit adhuc, quae confirmatus postea correxit. Non enim natus est Theologus, sed profecit Spiritu ac sapientia, donec totum cucullum deposuit, sicut etiam in praefatione sua super 1. Tom. omnes admonet, ut cum judicio discernant, secundum diversa tempora, Scripta sua. Deinde verum est, multos degenerasse ac defecisse, qui initio ad Lutherum accesserant, non aliter atq; discipuli quidam à Christo, Ioh. 6. & ab Apostolo Hymeneus & Alexander, 1. Tim. 1. & Romanenses ipsi, de quibus

Vide infra  
Theol. 86.

1. Johan. 2. ex nobis non sunt, & à nobis exiere. Et, oportet hareses esse inter vos, & c. 1. Cor. 11. Neceſſe eſt ſcandala venire, ſed va, & c. Matth. 18.

## XXXVI.

In tertia proœmii parte thema ἀλόγειον & à genuino textus & authoris ſenſu in alienum non ſine ſcelere detortum proponit, in quo, non quod pueri in ſaba, ſe reperiffe clamat, ſed id, ex quo totius doctrine Lutherane vanitatem & heresim execrandam poſſit ad oculum repræſentare, perinde videlicet atq; ſua farina homo quidam ex A. b. c. & c. Trinitatem.

## XXXVII.

In quarta deniq; parte problema inſtituit arduum ſanè, in ſinum Dei quaſi manum immittens, maximisq; poſtulatibus & hyperbolicis hypotheſibus extorquere conatur, Catholico-Romanam Eccleſiam à fide deficere non potuiſſe, nec tantum temporis planè ſepultum jacere verum Euangelium: qua ordine proſequemur.

## XXXVIII.

An fieri poſſit, nec cum immenſa Dei miſericordia, ejuſdemq; promiſſionibus de inceſſabili Spiritus S. effuſione & παροῦς in Eccleſia à portis inferorum non ſupprimenda, è diametro pugnet, & fidei non ſit abſonum: 1. Tot ſeculis rotum mundum erraſſe, fuiſſe abſq; fide & Chriſto ipſo. Reſponſio. Ad miſericordiam Dei quod attinet, cognoſcenda eſt ſcriptura. Et miſericordia ejus à progenie in progeniem, ſed timentibus eum, Luc. 1. Concluſit Deus omnia ſub peccatum, ut omnium miſereatur, Rom. 11. Sperantes in Domino miſericordia circundabit, Pſal. 31. Memorabor juſtitia tua ſolius, Pſ. 50. Ad miſericordiam volo & non Sacrificium, Oſ. 6. & c. At Pontificii tonſi, loti, uncti, confirmati, toſti, uſti, cocti, dubitant de miſericordia Dei. Quid igitur crepant illam, in qua nihil ipſis poſitum eſt præſidii, firma fidei ac ſpei? Deinde mendaciorum



ciorum filii, authores ac patroni sunt, ut hic Altkirchensis no-  
 ster suo exemplo testatur, suis propriis viribus confidunt, quid  
 igitur promissiones Dei, quas irritas faciunt, narrat, qua sunt Plal. 50.  
 veraces? quid Spiritum Sanctum jactant, cum vertiginis Spi-  
 ritu ducantur? Non ergo mirum est, imò necesse est errare  
 Catholico-Romanam Ecclesiam (non autem ideo totum mundum)  
 & carere Spiritu S. qui nullius dubitationis author est, sed ar-  
 rha, per quam dicimus, Abba pater, Rom. 8. & solam Dei justi-  
 tiam & viam, qua contingit nobis gratis, seu per misericordiam,  
 nos docet, Ps. 34. 118. 142. Joh. 15. Sicut & nemo potest Jesum  
 vocare Dominum absq. Spiritu S. 1. Cor. 12. Et qui non habet  
 unum certum fidei objectum, fide profus caret, sicut Pontificii.

## XXXIX.

Sed hic notanda est causa, cur Papistæ suum axioma de Ec-  
 clesia non errante, tam pertinaciter urgeant? nempe, quia  
 latibulum est, sub quo omnis generis errores, quos ne ipse quidem  
 Diabolus excogitare queat, occultare possent, si simpliciter, absq.  
 declaratione, locum aliquem & auctoritatem haberet.

## XL.

II. Potuisse mundum tot seculis esse absq. vero intellectu S.  
 Scripturarum, absq. legitimo usu Sacramentorum, absq. vero  
 Dei cultu, atq. plane à Deo deseri? Resp. vera Ecclesia non po-  
 tuit, videlicet quæ est custos scripturæ S. Deu. 30. Ps. 34. Mal.  
 2. Ecclesiam enim scriptura constituit, non contrà. Altkirchen-  
 sis verò hoc loco mundum nominat, non Ecclesiam, & rectè.  
 Ecclesia enim non est de hoc mundo, Joh. 17. Mundus amat te-  
 nebras, Joh. 1. cujus princeps est Diabolus, Joh. 14. Deinde di-  
 uturnitatis & seculorum tot. argumentum non sine causa ali-  
 quem moveret, nisi perspicue prædictum esset, fore tantam ac  
 tam longam & diuturnam seductionem, quæ penè ipsis Aposto-  
 lorum temporibus inchoatura sit, & demum in novissimum di-  
 em plane desitura, 2. Thess. 2.

Vide quæ  
 Luth. ad Di-  
 Phil. ser. psit  
 An. 30. Te-  
 5. le. f. 121.

III. Tam

III. *Tam invisibilem factam fuisse Ecclesiam, ut nec unus locus, nec civitas, nec templum extiterit, ubi tam clarè ac planè predicatum fuerit Evangelium, sicut à Luthero nefario monacho ac profugo, Prophetam ac Apostolum se mentiente. Resp. Ecclesiam mansisse & mansuram semper nemo negat. Verùm Romanum AntiChristum non prius Spiritu oris sui in multorum cordibus occidere voluit Deus, quàm ubi jam plenissima potestate in templo Dei sese extulisset, & ostentasset ut Deum, & summa imis miscuisset, claritate demum adventus Christi penitus abolendus, 2. Thess. 2. Quòd verò operà miseri monachi Deus usus est, nihil refert. Cur enim non ex lapidibus Deus excitaret semen Abrahae, Matth. 3. Totus mundus, Pontifex cum bullis & fulminibus suis omnibus, Imperator & Reges cum potentia sua, omnis vis armata, omnium Scholasticorum versutia, omnisq; armatura, non potuissent hac, quae effecit unus Lutherus miser monachus, & non ipse quidem, sed Spiritus Christi, qui in ipso habitavit, 1. Cor. 3. Quae tibi hac probatio videtur Romano-Catholica?*

## XLII.

IIII. *Tot Romanos Pontifices cruorem suum pro Christo fuisse, tot sanctos patres doctrina, moribus ac miraculis claros Ecclesiae Christi praefuisse, multosq; populos ad veram religionem convertisse in omnibus terra plagis, piè regnasse & pavisse oviculas Christi? Responsio. Fuerunt aliquot Pontifices pii, Episcopi pii, Patres pii, multa tulerunt, fecerunt, alserunt, sudarunt. Semper enim fuit aliquis Ecclesiae cœtus. Si enim Jehova exercituum non reliquisset nobis superstites paucos, sicut Sedòm fuisset, ipsi Amorah similes fuisset, Esa. 1. & septem millia Dominus reservavit, 1. Reg. 19. Sed qua hac est*

con-

consequētia: Fuerunt tot pij Pontifices Romani, patres & Episcopi, & c. Ergo per successionem naturalem quasi pietatem & religionem veram acceperunt omnes Pontificij, & Romanenses boni sunt? Audi: non sanctorum sunt filij, qui tenent loca sanctorum, sed qui exercent opera eorum: nec cathedra facit sacerdotem, sed sacerdos cathedram, nec locus sanctificat hominē, sed homo locum. Et posse Ecclesiam Romanam ex salute & veritate excidere & excindi, indubius testis est Paulus, Rom. ii. Hinc etiā Ioannes Baptista successionem, quam à naturali propagatione aestimabant Iudai, penitissimè rejicit, Matth. 3. Si exuta vulpina lupināq; & superstitiosa cute, ad ovile Christi redirent hodierni Episcopi, quidni sanctis quàm proximè accederent patribus?

## XLIII.

V. Tandem Sisyphus noster provocat ad articulum de Catholica sacrosancta Ecclesia, tanquam naufragium passus, & quidem maximo zelo. Impossibile enim, ait, esse, incredibile, contra veritatem Dei & contra articulum fidei: Credo unam sanctam Catholicam & Apostolicam Ecclesiam: quod Lutherus à Deo missus sit, ad antiquam Ecclesiam & religionem abolendam, & ad novam fidem suam, contra antiquitatis totius consensum, introducendam, novamq; insuper Ecclesiam constituendam? Hac est Tenedia illa bipennis, qua non solum Lutherus, sed ipsi Deo fremens minatur & irascitur. Sed respondebimus paucis ordine.

## XLIV.

1. Impossibile apud Deum nihil est, Luc. 1. Et, scio Domine, quod omnia potes, Job. 42. Et si Deus ex lapidibus excitet semen Abrahae, cur non ex monacho prophetam & doctorem salutarem efficiat, sicut & ex persecutore Apostolum. Sic saepe contrarium fit ex contrario, dicebat Lutherus, ex probo homine fit nebulo, ex angelo factus est Diabolus.

C

2. Neg.

2. *Neg, incredibilis est Lutheri divina excitatio ad Ecclesiam reformandam. Quia 1. Domino providente, ipse miser & despectus monachus à Principe Ill. Friderico & c. legitime ad novam Academiam vocatus, mira statim sensit Spiritus S. dona. 2. Scripturam penitus evolvit. 3. Qui verbum audit, ex Deo est. 4. Confessus est Christum in carne venisse, ex quo probandi sunt Spiritus. 5. Constanter & intrepide coram Imperatore & coram augustissimo orbis imperio mirabilia Dei locutus est, vicit DEI virtute, hostibus omnibus incussit terrorem, fecitque opus Dei Apostolo dignum.*

## XLVI.

3. *Horribilis verò est blasphemia, Altkirchensis, veritatem Dei abs te hic incusari, si Romana non semper fuerit Ecclesia vera. Deus sit Judex. Notissime enim toti sunt mundo fraudes, scelera, latrocinia, adulteria, idololatria meretricis Romanae. At, Deus iniquitatum non est Deus, Psal. 5. Veritas Dei est verbum ipsius, Ioh. 17. quo solo utpote gladio Spiritus prostravit mendacia pontificia Lutherus. Ideoque misericordia Dei & veritati ejusdem ascribimus Lutheri vocationem.*

## XLVII.

4. *Sancta Catholica & Apostolica Ecclesia divinam Lutheri vocationem & missionem non tollit, sed stabilit, quia solam illam Ecclesiam amplexus est. Sancta enim est Ecclesia propter Christum, qui est sanctificatio nostra, 1. Cor. 1. qua sanctificavit nos mundans lavacro aquae in verbo, Ephes. 5. Catholica est, cum quia per universum mundum dispersa est, ubicunque verbum Dei traditur, & legitimus observatur usus Sacramentorum: tum quia missio Apostolica & doctrina consensus Catholicus fuit. Matth. ult. Ps. 19. Apostolica, quia adheret firmiter fundamento scriptorum Apostolicorum: & quia ab Apostolis in novo testa-*

Testamento post Christi ascensionem primo fuit collecta. Talis autem vera est etiam Ecclesia ex pontificijs tenebris à Luthero in lucem reducta. Nec ullo modo sequitur, antea non fuisse Ecclesiam. Sic enim ait Lutherus in 1. cap. ad Gal. Vocamus Ecclesiam Romanam sanctam & omnes Episcopatus sanctos, per Synecdochen, etiamsi sint subversi, & ministri & Episcopi eorum impij. Deus enim regnat in medio inimicorum suorum. Item Antichristus sedet in templo Dei, & Sathan est in medio filiorum Dei. Ideo Ecclesia, etiamsi sit in medio nationis prave & perversa, ut Paul. ad Philip. ait, & in medio luporum & latronum, hoc est, Tyrannorum spiritualium, nihilominus Ecclesia est. Manet in Romana urbe, quanquam Sodoma & Gomorrha pejore, Baptismus, Sacramentum, vox & textus Evangelij, sacra scriptura, ministeria, nomen Christi, nomen Dei. Qui habent, habent, qui non habent, non sunt excusati: thesaurus enim est ibi. Et sic Romana Ecclesia est sancta, & c. Sic & nostra Viteberga sancta est, & nos sumus sancti, & c. Hac Lutherus.

XLVIII.

Quod verò descendit Romana Ecclesia, vel potius capita ipsius, & vel mille errores excogitavit, finxit, ac ementita est per vertiginis spiritum mille malitia modos ad vitam aternam, propter secularem retinendam, hic verò facta est meretrix & implevit id, quod Apoc. 17. de ea predictum fuit, secundum exemplum multarum Ecclesiarum in Grecia, Iudaea & alijs regionibus, Esa. 1. Ezech. 16. 23.

Vide Luth. Tom. 7. Ien. fol. 415.

XLIX.

5. Consensum totius antiquitatis, qui stabiliat pontificiam religionem, quem gloriabundus & admirabundus extollit, potius cū vera Ecclesia propter Diaboli ac hareticorū furores deploret.

ccle-  
& de-  
novā  
Scri-  
st. 4.  
sunt  
& co-  
, vi.  
q. 0-  
rita-  
ccle-  
undo  
is Ro-  
s Dei  
s pro-  
Dei

Lu-  
quia  
cclesia  
indi-  
bolica  
ver-  
torū:  
is fu-  
unda-  
novo  
testa-



ploret. Consensus enim verorum Doctorum, certè paucorum fuit omni tempore, collatus videlicet ad consensum Ethnicorum, Turcarum & aliorum Evangelica veritati adversantium. Nam filij seculi hujus prudentiores sunt in suo genere, quàm filij lucis. Multi etiam sunt vocati, pauci electi. Et si multum crepet consensum Romanum suum, adnumeret multos magos pontifices, & Diabolum ipsum, qui aliquando in papali cathedra sedens exclamavit: Ego sum Papa. Nos cum Luthero consensum & unitatem Spiritus probamus, qua existit in verbo, fide, cultu, religione, Sacramentis, Christo, Deo, corde, sensu, anima, voluntate, Luth. in 5. cap. ad Galat.

## CAPVT IV.

## De autoritate Lutheri.

L.

CVM D. Lutherus Scriptura & vera Ecclesia fuerit filius, progeniem etiam parentibus non ab similem reliquit. Primò enim sacra Biblia, in quibus nullus apex est, de quo non dependeant magni montes, Hebraorum consensu, ex latebris depromsit, tersit, absterxit, purgavit, & primò Germania sua ut *proci* civis, non absq; sudore reddidit, ob hanc solam causam, ut toti Ecclesie constaret de fundamento suo cœlestis doctrine. Eadem postea sapius, crescentibus Spiritus S. donis per invocationem, Luc. 11. recognovit, reddiditq; magis magisq; clariora, & ne fucum per imposturam cuiquam facere videretur, adhibuit in ultima recognitione collegas clarissimos: Philippum M. in Græcis, Crucigerum in Hebraicis & Chaldaicis, Pomeranum & alios professores in alijs linguis, quorum.

quorum consensu ultimam sanctissimo operi adhibuit manum, quod jam, ut solare illud astrum in caelo, per totam Germaniam lucet, hominum mentes mirè latificat & recreat. Hoc fulmen divinum primum fudit facticium Petrum cum omnibus suis natis nothis, scriptura inimicis.

## L I.

Accessit postea minor & major Catechismus, cum plerisque S. scripturae libris summo ac divino Spiritu explicatis, qui omnem Romani Antichristi fraudem toti penè orbi detexerunt.

## L I I.

Fidei πληροφωρία tanta valuit, ut omnia quantumvis maxima pericula adire non recusàrit. Stetit coram oculis totius Christianitatis graviter, coram toto imperio intrepidè, ac Spiritu divino oblocutus est Pontifici constanter, ac pro Christi gloria propugnavit fortiter, ut merito cum gentium Apostolo conferri possit.

## L I I I.

Precatio fuit ardens & assidua, qua fretus ex divina παρηγορία saepius dicebat, se vivente nullum Germanica Ecclesia imminere periculum, & se nullius, prater solius Dei, egere tutela in sua repurgationis doctrinae causa, quia precibus apud Deum obtineret omnia.

## L I V.

Hierarchicum statum triplicem, à pontificijs confusum, scedatum ac dilaceratum, in suum ordinem & antiquam dignitatem restituit. Vita fuit inculpata & sancta, sicut & mira ἀντιεξερα in ipso fuit observata, dum vili satis stipendio, quod vel dimidium pauperibus erogavit, contentus fuit, juxta regulam D. Pauli: Nihil in mundum attulimus, nihil inde efferre possumus. Μέγας ὄσι πορισμὸς ἢ ἀσέβεια μετ' ἀνταρξίας. 1. Tim. 6.

C 3

Effectus

Effectus doctrinae & certaminum pro Dei verbo fuerunt: infinitorum cordium sub papatu captivorum exhilaratio ac consolatio: multarum animarum ad Christum conversio, omnium fidei articulorum pura declaratio, regni caelestis auditio, Dei Trini & unius honor & gloria, & angelorum gaudium, Romanae meretricis pudor ac mors, Diaboli verò horribilis fremitus. Quae omnia Lutherus obtinuit ob hanc causam solam, quòd predicavit sermonem, institit tempestivè ac intempestivè, arguit, increpavit, adhortatus est, in omni lenitate ac doctrina opus peregit Evangelista, ministerium ad plenum probatum reddidit, certamen bonum certavit, cursum consummavit, fidem servavit, & quod superest, reposita est ipsi corona justitiae à Deo justo iudice, cum omnibus, qui diligunt adventum eius.

2. Tim. 2.

Objicit nobis author Altkirobensis, quòd se prophetam mentitus sit Lutherus. Queritur, igitur an justè propheta titulum ipsi attribuere possimus? Respons. Propheta in veteri testamento fuit Doctor immediatè à Deo vocatus ad repurgandam doctrinam caelestem atq; illustrandam promissionem de Messia & ad gubernandum certa consilia politica, ornatus testimonio miraculorum, quo confirmabatur, doctrinam ipsius divinam esse, in qua errare non posset. Talem prophetam non asserimus Lutherum. Propheta in novo testamento partim futura praedixerunt, ut Agabus & quatuor filii Philippi, Act. 21. & qui Antiochia fuisse memorantur, Act. 13. partim reconditos & abstrusos scripturae sensus divini Spiritus illustratione absq; literarum & praeceptorum subsidio protulerunt, ita tamen ut à muneribus politicis abstinerent, quibus meritò adnumerantur omnes ex divina scriptura homines vera pronunciantes, & in hac classe Lutherum nominamus prophetam.

Luth. Tom.  
7. Ica. fol.  
304.

Quamvis



## LVII.

Quamvis enim non absq[ue] literarum subsidio, tamen etiam non absq[ue] divini Spiritus illustratione abstractos scripturae sensus protulit. Praevideit etiam ac praedixit multa, quae eventus postea docuit. Reverenter etiam hoc addimus, quod in repurgatione caelestis doctrinae opus propheta dignum perfecit & absolvit.

## LVIII.

Lubet hic adjicere verba, quae audita morte Lutheri, cum magno affectu protulit Philippus M. pro publica lectione exclamans: Obijt auriga & currus Israëli, qui rexit Ecclesiam in hac ultima senecta mundi. Neq[ue] enim humana sagacitate deprehensa est doctrina de remissione peccatorum & de fiducia Filij Dei: Sed à Deo per hunc virum patefacta, quem etiam à Deo excitatum vidimus fuisse. Amemus igitur hujus viri memoriam & genus doctrinae ab ipso traditum, & simus modestiores, & consideremus ingentes calamitates & mutationes magnas, quae hunc casum sunt secutura: Hac Philippus.

## LIX.

Pomeranus in funebri concione ipsius sic ait: Quòd si meam sententiam de sancto isto viro scire vultis, judico ipsum per angelum significatum esse, de quo Joan. Apoc. 14. ita scripsit: Et vidi alterum angelum volantem per medium caeli, habentem Evangelium aeternum, &c. Et VVolfgangus Severus D. Ferdin. praeceptor olim:

Japeti de gente prior majorq[ue] Luthero

Nemo fuit, sed nec, credo, futurus erit.

Et Erasmus Roter. in comicijs Coloniensibus Friderico Electori Sax. sciscitanti de doctrina Lutheri, respondit voce ac scripto, Lutheri doctrinam veram ac sanam esse, & quamvis sit acerbior, Deum tamen huic aetati propter morborum magnitudinem acriorem dedisse medicum.

CAPVT

## De Themate.

*Si nolit uxor, veniat ancilla.*

L X.

**N**escio quo ore pronunciari, quibus auribus accipi, qua lingua voluari hac injuria potuerit unquam ab homine Christiano, quam inurit Nebulo Altkirchensis falsò, falsus, falsissimè D. Lutheri cineribus. Quae enim ex hoc themate elicere conatur, nunquam Luthero in castam venerunt mentem.

L X I.

Prævidit Divinus vir has falsationes scriptorum suorum longè antea. Sic enim scribit in Genesim cap. 26. Post meam mortem multi meos libros proferent in medium, & inde omnis generis errores & deliria confirmabunt. Videt igitur Altkirchensis, quòd Lutherus tanquam propheta etiam de ipso sit vaticinatus.

L X I I.

Facit autem Nebulo non aliter atq; de Emsero scribit Lutherus: Emser nulli meorum librorum se opponit, ubi de scriptura & doctrina ago, sed in quibus saltè nudum do consilium. Adducit etiam dicta sacra, quae nihil ad rhombum, magno tamen clamore. Ac surripit quedam verba ex scriptis meis, praecisis ijs, quae praecedunt, & neglectis, quae sequuntur. Et fol. 185. Quodnam scriptura dictum non est hereticum, si tanta impudentia traditur, & crinibus quasi quòdcunq; libet trahatur? Certè ita Mosen hereticum dicerem, ubi de creatione loquitur. Hac Luth.

Hanc

Tom. 7.  
VVirt. fol.  
148.

## LXIII.

Hanc artem etiam Altkirchensis exercet. Ex eo enim libro & loco, ubi nihil sanctius, nihil consolationis & doctrina plenius, nihil honorabilius de Conjugio proferri & doceri à Lutheropoterat, impudentissimus hic homo Gottfredlos unum atq; alterum verbum astutissimè ac fraudulentissimè, ex detorto sensu eromit, & thematis loco proponit, eo intellectu, ac si diceret Lutherus, omnes viros quibus insatiabilis libidinis prurigo in uxoribus propriis non posset expleri, licitè quacung; ancilla ad stuprum uti posse. sed audiemus ipsum Lutherum.

## LXIV.

In 6. Tomo VVit. à fol. 170. usq; ad 266. verè aurea de Conjugio doctrina extat, explicans omnes casus & causas ejusdem. Ibi cum ad divortium venit, tres evidentissimas assignat illius causas. 1. Impotentiam naturalem. 2. Adulterium. 3. Desertionem.

## LXV.

Quod si, inquit, qua conjugata persona alteram deseret improbè, tunc sequetur: Si nolit uxor, veniat ancilla, Ita tamen, ut res vel binis vel tribus vicibus proclametur & proponatur, aliq; publicè judicent, & palam omnibus vituperent desertionem. Tunc insolentem Vasthi dimittere, ac Estheram ducere licebit, ex fundamento Pauli 1. Cor. 7. Uxor proprii corporis jus non habet, sed maritus, &c. Quod si per magistratus auxilium nihil obtineri potest, idem est, ac si mortua esset, vel à raptoribus abducta. Cogitet igitur de alia. Et fol. 281. & 282. de divortio ita loquitur: Si maritus desertor est, post unum vel dimidium annum, publicetur programma citationis cum comminatione de absolvenda muliere. Si non venit, emanat eternum. Hoc verò malum inde venit, quòd nemo rectè docuit, quid sit conjugium. Audi: Conjunctus es mulieri? non es liber. Cogit te Deus adherere conjugi & liberis, &c.

Tom 2. Ie-  
nenf. f. 156.

Tom. 6.  
VViteb.

D

aut

aut doceat te hoc carnifex in cruce. Si quis ex impatientia & cruce discedit, alia res est. Reconcilientur, aut calibes sint & permaneant. Infiniti sunt casus. Hac Lutherus.

## LXVI.

Legatur autem diligenter etiam tertia pars de causis matrimonialibus, cum titulo: Quomodo quis piè ac Christianè in conjugio vivere debeat. Ibi enim in denies, quanto zelo doctrina, conjugum officia prosequatur. Adde sermonem de Conju-

Tomo 6. VVitt. fol. 130. na, conjugum officia prosequatur. Adde sermonem de Conjugio, Anno 1519. Item conciones duas nuptiales, super Ebr. 13. & Ephes. 5. Tomo 4. VVitt. fol. 559. Item explicationem 7. cap. 1. ad Corinth. Tom. 1.

## LXVII.

In prefatione super ritum copulandi desponsatos, sanctissimum vitæ genus nuncupat matrimonium, non inventum ab hominibus, sed fundatum super verbum Dei, graviter admonens, ut juventus rectè consideret & honoret illud, utpotè divinum opus ac præceptum, nec leviter ac scurriliter risu ac lusu excipiat, quasi res tam puerilis esset. Accedit deniq; ibidè ardentissima precatio, qua ritum ac benedictionem nuptialem concludit. Item, in explicatione sexti præcepti majoris Catechismi, summè extollit conjugium supra omnes ordines, ac in eo prohibitum ait non solum factum, sed etiam omnes causas, incitamenta & modos fornicationis. Hac fuit sententia D. Lutheri de conjugio.

## LXVIII.

Lubet hîc addere, quod D. Matthæus Lutheri domesticus olim, refert in 12. Concione de Luthero. Sic ait: De conjugio, Lutherus sæpè laudabiles ac optimos edebat sermones sicut maritus erat castissimus, & de uxoribus ac virginibus castissimè & honestissimè loquebatur, obscenis verò verbis admodum offendebatur. Nullum unquam obscenum verbum ex ore ipsius audivi. Si quando historia & præverbia erant, que aliquid turpe

*turpe continere videbantur, urbanè fœditatem sermonis oc-  
 cultabat. Et qui de virginibus, uxoribus & concionatoribus ma-  
 lè & obscènè quicquam loquebatur, eū nullo dignum censebat ho-  
 nore. Dicebat porrò: Mundo post verbum suum DEUS dulciorem  
 ac amabiliorem thesaurum nullum dedit, præter conjugium.  
 Omnes honesta tribus & collegia, nothos & spurios eiecerunt  
 ex suis communitatibus, siquidem etiam DEUS nullum adul-  
 terum, scortatorem & nothum in suo tabernaculo passus est.  
 Solus Papa inimicus honesti amoris (secundum Danielem) Dan. 12.  
 fuit patronus scortationis & sua religioni inseruit eos, unde  
 mundus spuris scatet, quo augeatur Diaboli regnum. Ego  
 sum, maneo ac morior in laude casti conjugij. Hæc Lutherus,  
 referente Matthesio.*

## LXIX.

*Hinc patet, falsò insimulari Lutherum impudicæ vitæ &  
 contumelia in conjugium: Deinde qua conscientia protulerit  
 & in scanam produxerit Jesuita verba Lutheri, nempe neq;  
 sensum neq; integrum contextum prolocutus est, sed surripuit  
 furtim quadam verba, in speciem, turpia, quæ suo sensui ad-  
 aptat. Veram Lutherus suum proverbium rectè declarat,  
 nempe, si impiè uxor deserat maritum; deinde non suo libito  
 ancillam venire jubeat, hoc est, aliam ducat uxorem maritus,  
 sed prius causa legitimè cognita & iudicata. Quæ doctrinæ  
 adhuc publica est apud Evangelicos.*

## LXX.

*Possent særa ipsa Biblia multis in locis eodem modo tracta-  
 ri, sicut hic Lutherus, & multa impia & obscæna ex iisdem col-  
 ligi, si quis hinc inde decerpit quadam verba, integro textu &  
 sensu non considerato. E.g. 2. Reg. 18. Viri, qui super murum sunt,  
 comedant stercus suum, & bibant aquam pedum suorum. Hic  
 si quis Altkirchensi more exclamet, & obscænum hoc esse*

D 2

propa-

propalet, an non virgīs cadendus esset, siquidem & verba omit-  
tuntur quedam & textus depravatur. Similia multa sunt  
apud Lutherum alia, ut: Pereat Apostolatus, pereat Petrus  
cum Paulo, scilicet, si praeferantur verbo Deo. Item, Deo dan-  
te mea frons durior erit omnium fronte, durus esse ac haberi vo-  
lo, gero titulum, Cedo nulli. Ex animo gaudeo pertinax di-  
ci, &c. videlicet in retinendo Evangelio, fide & Christo, in  
secundo capite ad Galatos.

## LXXI.

Quapropter thema furtivum, depravatum & sinistrè  
raptum Altkirchensem mendacij ac imposturæ arguit in reli-  
quis omnibus allegatis ex Luthero locis. Sicut & revera nil nisi  
plaustra scurrilitatis evomit.

## CAPUT VI.

## De Sacerdotum conjugio.

## LXXII.

**N**ON obscure innuit author Gottfridlos, dum Lutheri ca-  
stum thorum tanta afficit contumelia, & econtrà mo-  
nachorum & virginum devotarum castitatem extollit, se o-  
mnium Sacerdotum pium matrimonium per latus fodere &  
perfricta fronte perstringere. Et dolet, vota monastica à  
Luthero ita quasi conculcata & odiosa reddita esse, ut multa  
millia devotorum fratrum & sororum castitatem promissam  
deseruerint, & legitimum thorum amoris casti amplexa sint.  
Ideoq; paucis declarabimus, An quis ad calibatum perpetuum  
se astringere possit per votum? Et an pium ac concessum sit Sa-  
cerdotum conjugium.

## LXXIII.

Votum aut est veteris, aut novi Testamenti. In veteri  
enim certa lex erat de votis redimendis, Levit. 27. quia prae-  
cipue

puè ad conservandum ministerium spectabant, & erant que prestari poterant, absq; ulla salutis aeternae acquirenda annexa conditione. Ideoq; nihil valebant, fierant de re impia, illicita aut stulta, Deut. 23. Quaedam etiam certarum personarum erant, & ad honorem Dei pertinebant, utpote pignora gratitudinis, ut devotio Samuelis, 1. Sam. 1. Habebant autem conditiones possibiles.

## LXXIV.

In novo Testamento, nulla lex extat, nullum verbum (hic enim tutò prae mortem nasi abjurare possumus, secundum Luth.) Nam si fierent ratione cultus, essent ἐξελοθησικαὶ καὶ ματαιοθησικαὶ, contra illud Colos. 2. Matth. 15. Et de rebus non mandatis dicitur, Gal 5. Nolite servitutis jugo subjici. Si verò ad salutem promerendam suscipiuntur, detrahunt fidei Baptismati & caritati, ut Luth. disputat de capt. Bab. Nullum enim habent verbum.

Tom. 2. Ienens. f. 153.

## LXXV.

Unum enim votum in Baptismo edimus & professionem, qua Deo nos subjicimus & obligamus ad obedientiam. Ad professionem igitur Baptismi rectè & meritò exigenda sunt omnia Christianorum vota, qua legitima censi debent. Regula autem ac norma voti, quod in Baptismate exigimus, est sententia illa Christi, Matth. 28. Docentes eo servare, quaecunq; ego praecepi vobis. Et Rom. 6. Liberati à peccato, servi facti estis Deo, habentes fructum vestram sanctificationem: finem autem vitam aeternam. Quae cum vera ac firma sint, nemo ad calibatum perpetuum se astringere potest, ratione cultus aut sanctitatis: quibus adherent etiam causae.

## LXXVI.

1. Quia virginitas est nihil aliud, quàm cordis seu mentis & corporis simul puritas & immunitas ab ullo concupiscentia carnalis affectu & actu, qua in neminem hominum cadit, prae-

Vide de sequ. Tom. 4. Ien. f. 120.

ter eum solum, cui singulariter data est à DEO, Matth. 19.  
1. Cor. 7. Johan. 3. Natura autem non expelli potest per voti  
astrictionem. Deinde quod pendet à solo DEI privilegio, non  
est in nostra potestate vovere.

## LXXVII.

2. Adversatur votum castitatis perpetuum, verbo creatio-  
nis seu iuri divino, quo sexus ad sexum durat inclinatio, pro-  
pter sui conservationem. Et si mora injiciatur natura, fit  
ustio libidinosa, qua pugnat cum lege Divina. Quod enim  
Phil. M. in  
disp. de cō-  
cupisc. Franciscus Coloniensis putat, concupiscentiam esse rem bonam,  
inquiens: Si carni praeceperetur à Deo, non concupisces, perinde  
esse, ac si praeceperet Soli ne luceret, & igni ne arderet: Hoc con-  
tra Pontificios est, quia res bona voto electio, neque potest neque  
debet tolli.

## LXXVIII.

3. Accedit imbecillitas natura in hac mundi senectate, qua  
proprio voto curari nequit.

## LXXIX.

4. Impossibile est, ut & iis, qui virginitatem voverunt, ali-  
quando per carnis infirmitatem mala ac libidinosa cogitatio-  
nes non assurgant. Quis ergo non videt conscientiam ipsorum  
perturbari, cum iam in corde scortati sint, Matth. 5. Cogitabunt  
enim se vota excidisse.

## LXXX.

At objicitur. 1. Christus certè dicit, quosdam seipso  
castrare propter regnum caelorum. Resp. Christus loquitur  
de mortificatione carnis & ministerio Evangelij ac exercitiis  
fidei. 2. DEUS potest invocari pro dono continentiae. Resp. Si  
sentis carnis stimulos, respondet tibi DEUS per Verbum: Crea-  
vit duos in carne una, hoc tibi sit remedium. 3. Attamen  
virginitas praefertur conjugio à Paulo ipso. Resp. Per consilium.  
Deinde non quod in DEI conspectu acceptior sit, sed ratione  
condi-



conditionis, personarum, temporum & aliarum circumstantiarum, quas Paulus ἐνεσῶσαν ἀνάγκην vocat, quia videlicet virginitas minus habet incommoditatum & periculi, quod ad vitam communem. 4. In primitiva Ecclesia laudabile fuit virginitatem & calibatam extollere. Resp. Hoc factum est contra licentiam Judaici conjugij & gentilis scortationis. Bernhardus & alij virginitatem servarunt, non ut votum, sed ut placitum & sua sponte. Ut autem miracula, ita & vota antiquorum non sunt trahenda in exemplum. Notandum tamen est, quod Lutherus prodit in Epistolam ad Galatos capite 5. de sanctis istis: Imminente hora mortis, inquit, adeo erant trepidantes, ut plures viderim homicidas poena capitis damnatos confidentius mori, quam ipsos, qui tamen sanctissimè vixerant. Ac Hieronymus de seipso dicit: Pallebant ora jejuniis, & mens desiderijs aestuabat in frigido corpore, & ante hominem suum jam carne premortua erat, sola libidinum incendia aestuabant. Luth.

Vide Tomo 2. Ien. fol. 223.

Vide, quae D. Luther. scribit ad Philip. Anno 1530. Tom. 5. Ienens. f. 117.

## LXXXI.

Ex his jam explicatis, etiam de altera questione statui potest, an licitum sit Sacerdotibus conjugium. Et affirmamus meritò: ita tamen ut libertas Christiana ipsis integra sit, quam metiri debent gratia Divina & dono cuilibet à Deo concesso. Ideo q̄ si jam sacerdos se cœlibatui addixerit, & sibi cōsci-us fuerit, quod sacrilega sanctitatis opinione voverit, id quod servare non possit; preferat salutis suae rationem omnibus & votum cum professione relinquat. Aut, si volet & potest, votum & religionem teneat, impietatem & abusum ponat, inquit Lutherus.

## LXXXII.

Possunt autem plures cause pro Sacerdotum conjugio adduci. 1. Mandatum DEI ad omnes pertinens. 2. Quia est conjunctio divina, Matthaei 19. 3. Quia conjugalis castitas

castitas vocatur sanctificatio. 4. Imago Christi & Ecclesiae. 5. quia uxor bona est donum Dei. 6. Jus naturale, quod est immutabile. 7. Aliquot Synodorum piarum, ut Nicena, Gangrensis, & c. decreta pia. 8. Conjugium Sacerdotum in veteri Testamento, ubi tamen severior erat disciplina. 9. Pulcherrimae promissiones. 10. Pauli exemplum, sibi potestatem asserentis ducendae uxoris, 1. Cor. 9. & multa alia. Ex quibus omnibus rectè infertur, Sacerdotes nulla lege privari posse conjugio.

## CAPUT VII.

Calumniarum praecipuarum à spurco  
 authore in Lutherum effusarum  
 confutatio.

## LXXIII.

**Q**uoniam supra ad oculos ex ipso Lutheri textu monstravimus, scurrile thema Altkirchensis surreptitium esse, & nullo modo tam scurriliter à Luthero prolatum, imò planè contra mentem ipsius adduci: quid mirum si os impij ulterius perversa loquatur. Non igitur opus est ad omnes calumnias hoc loco respondere, sed maximè atroces examinanda sunt, unde spiritus authoris abunde cognosci queat. Sed prius quadam monenda sunt.

## LXXIV.

Lutheri scripta duplicia sunt, aut enim ante completum repurgationis caelestis opus, aut post edita sunt. 2. In familiaribus mensa sermonibus liberius locutus est interdum, & seria jocis admiscuit, qui tamen post obitum ipsius tandem collecti prodierunt, ideo nulla doctrina ex illis eruenda simpliciter, cum *weyßwörter* & *mußwörter* multa dicat, & superbis hominibus illuserit. 3. Verbis & proverbiiis horridioribus & gravioribus  
 interdum

interdum usus est, quibus magnus subest zelus, sicut in aliis sanctis hominibus videre est. 4. Non semper docuit Evangelium, sed pro asperitate adversarij asperum se exhibuit, & in rem ipsam intentus minus periculum calumnia in libertate loquendi extimuit. Et talibus & similibus circumstantiis legenda sunt sanorum Patrum scripta omnia. Vide hac de re D. Chemnicium in Examine Concilij Trident. in 6. genere traditionum, &c.

## LXXXV.

Mirè etiam ac graviter copiosus fuit in omni sermone Lutherus, ideoq; elegantes tropos ac figuras omni lepore repletas invenias in scriptis ejus non cuivis facile imitandas, ut Metaphoras, Allegorias, Synecdochen, Hyperbolen, Ironias, Paronomasias, &c. quæ sinistrè minimè rapienda sunt, sed Grammatica ipsa accuratius ponderanda, non posthabito candore. Jam ordine calvas objectiones & obtreptiones audiemus.

## LXXXVI.

1. Lutherus sæpissimè sibi contradicit, dum aliter atque aliter de uno eodemq; articulo locutus est. Resp. Est vetus crambe olim apposita, & à Luthero in prefatione primi Tomi Lat. satis superq; diluta cum clara protestatione. Quaedam enim scripsit nondum satis confirmatus in omnibus articulis, quæ in initio publicavit, quedam postea, cum scripturam plenius planiusq; intellexit. Deinde sicut multa contraria in scripturis sanctis ipsis esse videntur, quæ tamen causis consideratis non sunt: Ita & in libris Lutheri. Tertio non natus fuit Theologus, sed assidua lectione & meditatione, precatatione ac tentatione donum in se excitavit, quod divinitus habuit, quod & non aliter atq; in Timotheo Pauli discipulo credit. Sed audiamus Lutherum ipsum sic loquentem: Oportuit me discere illud Petri: Crescite in cognitione Domini, quod ipse ex Paulo didicit Gal. 2. & Paulus à Christo: Sufficiat tibi gratia mea, 2. Cor. 12.

Tom. 7.

V vit. f. 1.

414.

2 Tim. 1.

2 Pet. 3.

Tom. 7. Ierem. f. 187.

E

2. Pro.

2. Proverbium; Si nolit uxor veniat ancilla: non potest Evangelicè explicari, sed necessariò de scortatione seu adulterio est intelligendum. *Resp. Paulus satis Evangelicè id explicat 1. Cor. 7. Si discedit frater vel soror, discedat, frater non est subjectus servituti, sed liber est. Ideo q̄, aliam ducat, si legitimè res fuerit cognita, etiam contra canones pontificios. Satis autem prodit Altkirchensis libidinosum cor suum, quòd contra conscientiam nihil sana doctrina hausit ex divinis Lutheri scriptis, sed ubiq̄, compilavit verba, ostiatim quasi, ad cynicum suum convivium exhilarandum. Tales hospites hominis linguam habent, mentem Diaboli.*

3. Lutherus ipse palàm confitetur, se nullas nisi carnales seu libidinosas pati affectiones, ut ex Pathmo ad Philippum scripsit, se præ nimio pruritu nec orare, nec quicquam spiritualium rerum perficere posse, ut tandem ad medicorum opem confugere necesse habeat. *Resp. O Cain, Cain, da demonstrandi. Oppono tibi hoc loco insignem orationem D. Philippi de obitu Lutheri, in qua annumerat ipsum ab Adamo usq̄, omnibus Patriarchis, Prophetis, Patribus & piis Ecclesie Doctoribus. Tot lucubrationes edidit ex Pathmo per breve tempus, ut vix credibile sit, hominem unquam cepisse somnum. Edidit explicationem Evangeliorum & Epistolarum in folio, cum præfatione ad comitem Albertum Mansfeldie: De votis libellum: de Abroganda missa & aliis. Ut autem intelligat Altkirchensis scurra, quid ex Pathmo scripserit Lutherus, subjiciemus hic ex Tomo 3. VVitt. pag. 276. sic: Infinitis ferè negociis obrutus sum, quotidianis concionibus, compositione Psalterii, adorno Postillam, respondeo adversariis, & confuto Bullam Pontificis Latine & Germanicè. Quod pro me oras, rectè facis, magnum mihi impositum est onus, quod me ferè*

ferè supprimit. Multa occurrunt impedimenta orationis, studiorum lectionis, scriptionis, &c. In summa, mea vita misera ac calamitosa. Mei non sum compos, discor nescio quo spiritu, spero tamen, bono, de quo sum certus, quia nemini malè cupio. Adhac persequuntur me inimici mei tam procaciter, ut non rectè Sathanam agnoscere possim. Ora igitur pro me, ut non in cogitationibus, qua inimicis placent, verser, sed qua Christo honesta & mihi sint salutares. Hæc Lutherus. Hic quis non animadvertit Elia Spiritum & Jeremia grave onus? Quamvis absq; tentationibus nõ planè fuerit, unde ad nobilem Anno 1523. Tom. 1. VVitt. fol. 34 super 7. ad Corinth. scribit: Rectè didici & expertus sum tribus annis, quæ sit castitas extra conjugium.

## LXXIX.

4. Lutherus ante aliquod tempus consuetudinem habuit cum moniali sua, priusquam publicas celebravit nuptias. Ergo impudicus homo. Resp. Dominica Trinitatis ad se castè receptam sponsam suam, in præsentia plurimorum doctissimorum & honestissimorum hominum sibi copulari in nomine S S. Triados curavit: quia tempora tunc non aliter ferebant, ubi VViteberga nullæ sacerdotis adhuc publicæ celebratæ erant nuptiæ. Sed tandem post aliquot septimanas publicum præbuit epulum, in testimonium veri conjugij. Hujus rei locuples est testis D. Matthesius, domesticus olim ipsius, in quinta concione de vita Lutheri, ubi hæc verba addit: in extremo die hi duo Christiani conjuges ad dextram Christi apparebunt, quando Sodomitæ Romanenses & adulteri ad lævam cum hædis in æternum ignem mittentur. Non est igitur, ut nuptiales literæ ab Altkirchensi citatæ sancto huic conjugio maculam inurant, cum non ab epulatione, sed à legitima coniunctione, pro temporis illius circumstantiis, conjugium æstimandum. Typus fidelis Episcopi fuit, unius uxoris maritus, longè aliter se gerens quàm Pontificii

Ann. 1525

*synedi, qui clam partim sua scorta alunt, partim meretricij amoris nullam verentur turpitudinem, in sanctissima sua vita. Ac dolet ipsis, Lutherum, tot lupanaria, qua fuerunt monasteria, sua doctrina destruxisse, ac tot millia castarum feminaru foeda carnificinae monasticae alias mancipandarum, ad castitatem conjugalem perduxisse. Bene enim norat Lutherus, patrimonium Petri magis ad conjugatos, quam ad caelibes pertinere, utpote bona politica & oeconomica, qua ad legitimos, non vero ad spurios heredes transferenda sunt.*

X C.

5. Perplura inueniuntur in scriptis Lutheri, quae & impudicam mentem ipsius & vitam arguunt, ac scandalum praebent, ut: *Necessitas ferrum frangit. Naturae cursus non impediendus. Fratris uxor sterilis ab altero affinium impregnanda. Vxor virum impotentem habens clam cum fratre illius concumbat. Mosaicum divortium Lutherus introduxit rursus, & polygamiam. Maritus, qui virginem viciavit, eam unam cum legitima uxore habeat, &c. Resp. Omnia haec putidissime, vanissime & mendacissime partim male detorquet, partim fingit Maleficus Altkirchensis & fraudulentè vult saltem allegatos Lutheri Tomos Anno 1522. Jenae impressos, qui non amplius, vel raro versantur in hominum manibus: pleraque etiam adulterat. Egit quidem de variis questionibus hinc inde in suis libris Lutherus, ad conjugium spectantibus, praecipue in supra allegatis, & in libro de causis matrimonialibus, Tom. 5. Jen. f. 238. ex quibus author Altkirch. aliquoties falso ac depravate adducit sententias. E.g. Refert Lutherus fol. 247. Tom. 5. Jen. Quomodo secundum Mosén maritus duas uxores simul ducat, & in quo casu: statim Altkirchensis Lutheri impingit quod author sit omnibus maritis ad plures ducendas uxores, ubi tamen Lutherus clare concludit: Hoc apud nos non valet, ubi duo sint in carne una, &c. Et ut exemplum adda-*

addimus, quantum divinus vir laboraverit de duobus conjugibus  
 Berlinensibus, ut divulsi rursus conjungerentur, testantur literae  
 graves ac triplices ad tres principes, totum nobilitatem & ipsam  
 desertricem. Tom. 5. Jen. fol. 265. Unde constat, polygamiam  
 & digamiam seu divorcium iniquum minime ipsi placuisse.

## XC I.

Quid verò Luthero non spurci attribuant Pontificii, cum  
 stimulum carnis, de quo D. Paulus 2. Cor. 12. tam graviter  
 queritur ad venereas cogitationes & libidinem referunt? ni-  
 mirum de castissimo, sanctissimoque Apostolo, sicut & de Luthe-  
 ro judicant illi homines ex suo ingenio & impuris affectibus,  
 quibus toti ardent ac aestuant, & praesidiolum quoddam im-  
 purissimi sui caelibatus captant in exemplo Pauli, & amplexa-  
 tiones suas foeminarum benedictionis gratia fieri sanctè pro-  
 dunt, nullam etiam meretricem agnoscunt, nisi 40. ad minimum  
 viros, absque tamen mercede, admiserit. Et notum est decre-  
 tum Pontificis & Cardinalium, quod refert Luth. in Epist. ad  
 Nobil. Tom. 6. Vit. fol. 244. ubi conceditur illicitum apud illos  
 matrimoniū, si rusticus 100. nobilis 200. comes 400. aureos per-  
 solverit sedi Apostolicae. Et addit Lutherus: Queritur hic, an  
 hoc sit venales prostituere foeminas, an vendere, an vero rape-  
 re? pecunia facit justum injustum apud hos sanctissimos viros.  
 Summū dedecus esset coram Turcis & Ethnicis, si hac rescirent.

Gloss. in  
 Can. ab his  
 11. q. 3.

Can. vi-  
 dua. 34. di-  
 stinct. 10.  
 Glossa.

## XC II.

6. Impiè comprobatur Lutherus, Sacerdotem qui extra  
 conjugium cum concubinis vivit, propiorem esse caelo,  
 quam qui vel ex ducentorum & plurium conciliorum  
 decreto & coactione unam conjugem haberet, & extra  
 illud decretum nullam ducere seu vellet, seu posset.  
 Resp. Est Hypotheticum pronunciatum, quod saltem pro casu  
 ponit Lutherus, quando ex duobus malis minus esset eligen-  
 dum, Et sic respondet: Fornicatio est maximum peccatum, sed

respectu contemptus Dei & spiritualis fornicationis minus est. Unde Christus ipse tolerabilius iudicium Sodoma & Gomorrae, quamvis extrema libidinis civitatibus, quam Capernaum & Bethsaida omnibusque externè sanctis & Phariseis comminatur. Et Matth. 21. publicani & meretrices precedunt Phariseos castos coram mundo, in regno caelorum. Quid ita? Quia resistebant DEI Verbo ac Evangelio, quod non publicani ac meretrices faciebant. Si quis enim ex ordinatione humana, decretoque conciliorum, solo uxorem duceret, aliàs verò nullo modo, cum tamen antea DEI Verbum ac decretum haberet; is Verbum DEI fastidit in corde suo, pedibusque proculcat, quia hominem supra DEUM collocat, humanisque plus tribuit traditionibus quam divinis, quibus simpliciter ac directè contra Deum agit, ipsum negat, ac homines habet idola. Ita corpus externè quidem castum habet, & in conjugio vivit secundum humanum decretum: at internè anima duplex fit meretrix & adultera per incredulitatem, dissidentiam & Dei contemptum. Quantum igitur putas propior sit Deo, qui concubinam alit, quam talem conjugem? imprimis cum ille peccator libenter legitimum iniret matrimonium & tamen imbecillitate impediretur, & vi humana conjugium prohibente ad peccandum cogeretur. Quanquam non credo, talem unquam casum apud nos futurum. Hec Lutherus.

## XCIII.

7. Vxor, quæ habeat virum impotentem, nec alii palàm nubere possit, neque famam etiam suam lædere velit, dicat marito: En, rem mecum habere non potes, decepisti me juvenulam, ac in famam salutisque periculum adduxisti. Concede igitur, ut cum fratre vel propinquo tuo clancularium habeam matrimonium in tua domo, ne externi tuam nanciscantur hæreditatem, & sic eodem, quo meluisti modo, te lubentem decipere sine. Dixi, inquit Lutherus,



therus, omninò debere in hoc consentire maritum, ne & opera conjugalia & liberos simul uxor non habeat: Si verò minus assentitur maritus, clam aufugiat illa in aliam regionem, ibiq; nubat. Resp. *Primum Lutherus pramittit haec verba: Objiciunt mihi, me docuisse, si vir extremum uxoris libidinem explere non possit, quamvis integer ac sanus, abeat illa sanè ad alium. Sed mentiantur donec velint. Apostolis non pepercerunt, nedùm mihi. Postea respondet: Hoc consilium eo tempore dedi, quò trepidarem adhuc, jam verò audacius talem virum aggrederer, sicut & fœminam. Non decet, proximum in tam arduis rebus, corpus, bona, famam & salutem spectantibus tam fraudulenter circumvenire. Ad omnium restitutionem talis cogi deberet. Cum autem in recensione verborum Lutheri falsum committatur, observa, cur Lutherus dederit hoc consiliũ. 1. Quia inquit periculum accedit fama ac salutis. 2. quia magnum processum hic institueret, & multos testes requireret Pontifex, in perditionem facultatum conjugum. 3. quia coram Deo nullum unquam inter illas personas fuit conjugium: Et has duas postremas consilii causas omitit astute Altkirchensis, interserens suas calumnias, quod fieri minimè debebat.*

## XCIV.

8. Nulla honesta fœmina nubere alicui potest, vel uxor fieri, nisi prius meretrix fuerit impudica, dixit Lutherus. Resp. *Hæc extant, 5. Tomo Jenens. fol. 251. Res autem sic recensetur: De quinque vel circiter virginibus fama ac virtute integerrimis expertus sum hoc ( Altkirchensis calumniatur Lutherum nudas aspexisse ) quamprimum erant desponsatae, calumniatores, utpote Diaboli nunciij veniebant ad Sponsum, vel ad leves suos socios effutientes hanc & illam maculam & infamiam de innocenti sponsa, quamvis bis fictum & ver non verum erat, ut tandem proverbio hoc uterer;*

Nulla

*Nulla proba ac honesta foemina init conjugium, nisi fuerit prius meretrix. Nam animadvertendam, etiamsi castè virginitatem servassent, tamen nebulonibus istis erant meretrices. Calumniatur igitur & hic nequam Gottfridos.*

XCV.

Tom 2 Ic. 9. *Dixit præterea Lutherus: Tam necessarium est conjugium quàm cibus ac potus. Vir appetit foeminam & contra. Remedium ustionis libidinosæ sunt virgines. Natura frenum non patitur. Virgines vel ad stuprum, vel ad conjugium sunt creatæ. Resp. Haec calva futiles & ab auctore libidinoso animo prolatae locutiones, hinc inde castè & re ita postulante usurpatae sunt à Luthero, sed ita ut legenti satisfaciat, dum sensum & finem phrasium considerat. E. g. Mandatum magis necessarium est, quam quod permissum est. Conjugium est mandatum, usus verò cibi permissus. Ergo, &c. Item: Melius est fame, quàm fama & conscientia periclitari. Ergo magis necessarium conjugium, quàm cibus ac potus. Sed hæc & similia cesso tractare. Videantur quæ sunt 2. Tomo Jenens. fol. 128,*

XCVI.

10. *Lutherus confitetur omnia se habere ex Papatu, Verbum & Sacramenta. Ergo injustè invehitur in eum. Resp. Videatur ipse Lutherus Tomo 7. Jenens. fol. 414 & 415. ubi disertam invenies responsionem. Sub Papatu semper fuit Ecclesia aliqua, quamvis minus conspicua. Ideoq; non ex Papatu per se, sed ab Ecclesia, quæ sub, in & cum Papatu fuit accepimus Verbum & Sacramenta.*

XCVII.

11. *Formula Concordiæ tota fundata est & extructa super scripta Lutheri. Resp. Mentiris Jesuita. Nam sicut nihil recipi cupit pro vero in scriptis suis Lutherus, nisi Scripturæ sacre consentaneum: ita nihil stabile & solidum in doctrina esse*

esse affirmat Formula Concordia, nisi solum Dei Verbum, pro quo propugnat contra omnes Diaboli squamas. Vide cap. 10. Apologia Form. Concord. fol. 183.

## XCVIII.

12. Principes ac Reges malè tractavit Lutherus, quod ex bono Spiritu proficisci non potuit. Resp. Quare respon- sionem in libro contra Regem Angliæ sub finem, & causas ibidem annexas, ubi Christi, Petri, Pauli, Stephani, Prophetarum exempla producit, qui divino zelo Judæos, serpentum progeni- em, homicidas, filios Sathana, stultos, canes, proditores, sedu- ctiores appellarunt. Et (inquit) irrideo meritò eos, ut spero, qui Deum meum & verbum ipsius rident, sicut Elias Prophetas Baal, 1. Reg. 18. Hac verò non cuiq; sequenda, sed admiran- da sunt in Heroicis viris à Deo excitatis.

## XCIX.

13. Vltimò. Altkirchensis Diabolum Lutheri affirmat præceptorem fuisse, cum familiaris ipsius ac lecti socius fuerit, & concludit, dignum esse ac justè fieri, ut omnes Lutheri libri novem ulnas sub terra defossi perpetuò la- teant, ac memoria ejusdem excindatur & aboleatur. Resp. Vexatio dat intellectum, & tentatio & afflictio probant <sup>Esa. 28.</sup> Christianum. Sic gravissimas nocte dieq; sensit tentationes <sup>Rom. 5.</sup> Lutherus, & Sathana angelus ipsum colaphis probè cecidit. Et fatetur Lutherus, quando ita exercitus fuerit à Diabolo <sup>2. Cor. 12.</sup> objiciente ipsi Idololatriam Pontificiam & horrendos abusos, se victum fuisse, sed rursus vicisse per oppositam Dei misericordi- am, & meritum Filii sui, de quare vide Comment. super 1. cap. ad Gal. & Esa. 28. ad marginem: Sola tentatio facit bonos Christianos. Item alibi, respondit Pontificiis: Vos nescitis Dia- bolum. David, Propheta & Christus benè norunt. Emser & Oecolampadius per tela ipsius mortui sunt, Ego vici. Absq; <sup>F</sup> auxilio

*auxilio divino nemo hunc disputatorem vincit. Acutus est &  
Semper ex veritate mendacium probat.*

C.

*Hec sunt, quæ Bonifacio, Gottfrid Altkirchensi ad famosum libellum contra Lutherum directum, hoc tempore respondenda duximus, tanquam, ut moneretur pia juventus de scelere ac fraude Jesuitarum cavenda, & ad diligentius D. Lutheri scripta evolvenda, quæ in majori precio non habemus, quam ipse in præfatione super 1. Tom. Jenens. Item 5. Tom. in retractatione doctrine de purgatorio, eadem vult haberi.*

*DEUS judicet calumniatorem Altkirchensem, &  
nos in veritate, quæ est verbum ipsius,  
conservet.*

F I N I S.





2. *Theſſal.* 2.

**D**ominus noster Iesus Christus

& Deus ac Pater noster, qui dilexit nos, & dedit consolationem æternam ac spem bonam per gratiam, confoletur corda nostra, & stabiliet nos in omni sermone & opere bono,

A M E N.



5570


Domine noster Iesus Christus  
Deus ac Pater noster, qui dixisti  
nos, & dedit consolationem eternam ac  
spem vitam per gratiam, consolentur  
corde nostro, & habili nos in o-  
mni sermone & opere bono.  
A. M. E. N.



7

m.c.





Faint, illegible text from the adjacent page, possibly including the word "HOC" and "FICHT".

ULB Halle  
004 965 566

3



Handwritten text in the bottom right corner, possibly "VDA 7".







Sup. 6. cap.  
ad Ephes.  
2. Cor. 13.

Luther  
mand.  
& econ  
sia, qu  
bac ab  
ta aspe

pro nat  
publica

angelic  
lum it

obtin  
gredie  
Luthe  
sumus

hanc  
in 7. o  
ficia &  
cie ab  
autho  
cis &  
bus qu

stirpandum, da  
one delendam,  
Catholica Eccle  
Cui spongia  
famosa sua char

Luthero debemus,  
& restitutione

Sathana ac ipsius  
sufficit tamen il  
tu quicquam justè  
Proinde liberè ag  
etur, vindicaturi  
seias pro qua pos

videmus diatriben  
bellum directam,  
differentia Ponti  
prima pagella fa  
e proemio. 4. de  
de votis monasti  
ac depravationi  
c falsò exponit.

ri.

Titulus

